

X 23 A 6764

II h  
687

*Ternio Poetius' f. explicat. fidei  
fabular. mythologicae*

# VALEDICTIONI SCHOLASTICÆ,

UT

DIE CRASTINO,

H. L. Q. C.

INTERESSE DIGNENTUR,

## VENERANDOS DNN. INSPE- CTORES, PATRONOS, FAVTORES- QUE IUVENTUTIS STUDIOSE

HIS LITERIS

OFFICIOSE AMANTER QVE


INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Winhold/R.

---

CYGNÆ,

LITTERIS JOH. DAV. FRIDERICI





Undum sagacioribus tanta Tanaquilli Fabri iunioris, notissimi Galli, visa est sagacitas, in reprehendis Poëtarum studiis, fictionibus, argumentis, ut numero potius rationum pugnans, quam pondere, illos in suas partes ac sententiam pertraheret. (1) Quin contra omnis sapientiæ cella quædam promptuaria Poësis est habitata; cuius solerti fecunditate natura rerum, boni mores, prudentia civilis, laudandarumque artium disciplinæ, non minore suavitate, quam utilitate, in generis humani notitiam profluxerint. Ut merito Doctissimus Paschius eorum ineptias arguto perstringat stilo, qui poëticis in narrationibus & commentariis conscribendis, neglecto sensu abstrusiore, pro nucleo corticem comprehendant, & nudas tantum voces & verborum pigmentis coloratas sententias considerantes, perinde a genuino fabularum fructu aberrent, atque illi, qui in picturis diiudicandis leves quasdam lineas sibi contemplandas purant, nativa pingendi arte ac forma posthabita; aut qui mercibus involutis appositas imaginum teslerulas admirantur: neque quid in occulto lateat reconditæ sapientiæ, curæ pensique sibi habendum ducunt. (2) Amplissimum naturæ theatrum, fabularum poëticarum involucris contextum, multi detexerunt, Virtutum hortamenta, vitiõrum correctiones, honestatis incitamenta non minus ab optimis quibusque ingeniis, remoto figmentorum velo, adhibitaque interpretandi clave, reclusa iamdudum, legentium sese oculis commendaverunt. Ternionis poëticæ nodos Gordios qui solvere conaretur, & morum culturam illic delitescentem in lucem protraheret, cum superior & nostra ætas incidit in aliquos, qui particulam huiusce investigationis; totum autem negotium qui aggredi sustineret, hæcenus in venerit neminem: ego si vel occupatam, vel plane relictam mihi poposcero materiam, quantumvis nullo munus Palladis clypeo, neque a cæteris acuminum instructus præfidiis: ignoscet Benevolus lector Phaëthonti Phæbeos currus gubernare audenti. Neque me formido talium coniecturarum a cepto simel ausu absterrebit, cui ea firmiter infixæ est persuasio, mihi non cum ancipiti Sphingis ænigmate luctandum, posito in medium prætio sanguinis: neque de salute ipsa, non satem de ingenii gloria certandum fore: nisi Oedipus vel augur Apollo accesserit. Cerberus terti aspectus apud inferos canis, trium caputum, toridemque linguarum & rictuum animal, latratu sonoro, mordentibus dentibus, robore tenendi incredibili pollens, avaritiæ insatiabilis viva ac spirans adumbratio est. Avarorum tria genera Ioh. Boccacius, opus arduum molitus non semper propitia Minerva, (3) percenset. Illorum aliquos infaustam opum adurere sitim, in omne lucrum, etiam turpissimum inruentes; dummodo suppetat hac aviditate inhonesta, quo male parva largitate profusa dissipentur. Aliquos scelearum habendi amorem transversos agitare, ad omnem laborem, pecuniæ studio, subeundum, sed ea perturbatione mentis sanæ, ut neque sibi corraso argento, neque aliis afferant emolumentum. Plerisque auri sacram famem propterea exitio fuisse, quod, nullo suo opere, quæsitæ maiorum sudoribus, quod collectos nummos non aliter, ac depositum sibi certa lege creditum in arca constringant, legnes ipsi interea & tristitiæ nebulis undiquaque obnubilati. Mihi quidem tria capita Cerberi tres avarorum cupiditates, ejusdem nutritic sobolem, designare videntur; cupiditatem, aut si mavis, improbam habendi spem; cupiditatem plus habendi, cum avaritia quo plus possideat rerum affluentium, eo ardentius copiosiora affectet & efflagitet; cupiditatem infinitam semper habendi. Tres autem linguæ seu rictus non minus nigra loliginis possessorem, quam hominem innoxium, cui pestis avara iniuriam intemat, quasi famelicus Cerberus, devorant. Avaritiæ enim studium corporis debilitat vires, suo defraudans genio; animum a virtutis cursu rrahit, quæ sedem figere haud potis est, rapiendi omnia libido ubi dominatur; postremo cum ante nulla copia satiaretur, appropinquante fatali hora, in sempiternum exitijum affledæ

afeclæ fui animam præcipitat. Alterius vero damnis tres linguæ triplici gutture promicant; quando avarum pectus alterum spoliare suo aut vi aggredditur; aut acrius, quam aquila vel serpens Epidaurius, opulentia alienæ infidiosos tendit laqueos: aut certe, officiis omiſſis beneficentiæ, indigum hominem ſinit tabeſcere. Invidiam quoque, dirum mortalibus exirium, triſtaux præfert Cerberus. Namque ſi quis divitiarum apparatus fiat ſplendidior, ringitur invidia, rugatamque frontem felici obtendit abundantia: ſi facultarum copia in mauiſ creſcat, & Creſti æmuletur ubertatem; tunc ægrimonia edaci invidioſus animus ægreſcit, & lenta tæbe confumitur: Ubi vero beatitati tali addatur perennitas, tunc orbis integer non ullum mauiſ vidit tormentum. Non proſuſ hic diſplicet Muſa Fulgentij, iurgiorum inter mortales diſſeminari aliq̄e ſolitorum effigiem putantis canem feralem Erebi. (4) Statum ipſe, acuta mentis acie, ternarium agnovit iurgiorum; naturalem, quando inter multos naturale deprehenditur eſſe diſſidium, alimentum faſtidij, & fuga amicitia: qualis canes inter & lepores, lupos intrer & agnos, homines & ſerpentes; cauſalem, ut loquitur, q̄vem non natura quidem, ſed natura ſuperueniens indignatio, iracundia, diſcordia mentes pace concordia antea colligatas diſſocians, efficit, velut ex dolore rivalitalis, iuxta Servium, aut, Petronij verbo, e furioſa amanium æmulatione diſpaſcit; tandem & accidentalem, ſi caſu aliquo fortuito odium inflammatur; ut cum macilentæ beſtia, & per dies aliquot inediã paſſa, de pabulis obuiſiſ ferociſſima contentione, & vel ad necem, inter ſe digladiantur. Enimvero quod caſui vindicatur a Mythographo, idem & cauſa tranſcribere quid verat? Adeo præter naturalia & adventitia ſemina rixandi, nihil afferre allegatus fabularum enucleandarum artifex. Luceulentior futura erat Fulgentij commentatio, maiorque luce fulſiſſet, ſi rixofum ab incunabulis vitæ hominem; deinde eiſdem cupiditatem lites ſerendi inter fratrum concordiam, occaſionemque altercandi ſua ſponte quaſitam; ad poſtremum ab aliis turbiniſ concitatam certandi inſaniam, cupidiffimeque arreptam, (tria ingentia mala, ad bella natum videri, Martem ultro laceſſere, Furiarum tædis ardentibus oleum infundere velle) poſuiſſet. Jam Parcarum ternarius novum, ſi commentatorum paginas revolvamus, ex ſe gignit ternarium, tres videlicet temporum cardines; præteritorum, quibus Atropon præſciebant, quod tranſacta revocare, vel mutare, vel in nihilum convertere haud valeamus; præſentium, quæ præſenti moderamine gubernare Clotho, tanquam Deæ evocanti, forte datum ſingitur; futurorum, quorum ſors in arbitrio & poteſtate Lachæſis ſira eſſe credebatur. Quod in ſuſo perfectum eſt, præterlapſi temporis faciem induit: quod digitis adhuc torquetur, momenti præſentis vultum fortitur; quod nondum in colo tractum ſubactumque cura digitorum, futuri ac ſeculi inſequentis poſteriora indicat. (5) Fulgentius paulo ante memoratus, lima ingenij intenta in Parcarum enarratione, vitæ mortalis ingreſſum, progreſſumque & egreſſum in oculis habens, Clotho interpretatur evocationem; quippe quam, poſtis cuiusque rei elementis, primisque ſeminibus, eo ſuam vim, ſuam virtutem exercere affirmat, ut aliquid in lucem huius auræ communis emergere aptum reddatur. Lachæſin idem protractionem dici aſſerit: quicquid enim uſura lucis per Clotho frui poruit, id ulnis veluti ſollicitæ Lachæſis recipi, receptum deinceps in vitalem auram produci, ut ſpiritu, dum vita maneat, animoſo vivoſque gaudeat; Atropon converſionem non avertendam, hoc eſt, ſari neceſſitatem inevitabilem involvere, quod omnia nata occidant, aucta diminuantur, ac tandem ſeneſcant, donec in mortem inexorablem, neque ullis viribus hominum opibusve amolendam demergantur. Liceat mihi doctrinæ vitæ beatoris propius accedere. Tria quemvis hominem, in quibus cardo humanæ prudentiæ vertitur, ſpectare oportet, niſi oculatus cæcutire, ſub meridiano ſole per noctis umbras vagari, & in ſalo pacato naufragium velit pati: quomodo ſcilicet prioris vitæ annos tranſegerit; Quibus conſiliis fretus, præſenti hora lætius tranquilliusque

per-

FK 76 687

perfruat; Quali deliberatione suffulciendus sit animus, ne adversis casibus infra Sapiientis sortem deprimatur; Quo temperamento cupiditates, secundo fortunæ fluxu tumentes, moderatæ rationis freno subiciat: ne intra Scyllam atque Charybdim vitæ navem propellens, in partes extremas feratur, vel despondens animum rebus adversis, vel contra fastu efferatur, ubi amico & sereno fortuna ridet vultu. Semper ante oculos versentur rerum nostrarum primordia, textura, & ultima manus iis imponenda. Iupiter (de hoc enim tertio loco dicere ingredior) magnifico nomine patris hominum Deorumque superbiens apud poëmatum fabros, tribus luminibus cinctum caput habuisse traditur; perinde atque nihil rerum divinarum aut humanarum tam esset reconditum, quod perspicacissimos Iovis oculos fugeret, quodque a conspectu eius præsentissimo remotum putaretur. Tribus igitur luminibus supremi Deorum, trinum ternorum regnorum imperium, adeoque arbitrium totius Universi innuebatur, sic ut cæli Monarcha, idem & terræ marisque Rex, ut Aeschlyo audit, moderatorque maximus esse existimaretur. Inveniunt, hac animadversa imagine, regnorum Præsides, quod imperandi artes atque curas vivis quasi coloribus adumbret. Tria videlicet oculorum lumina unicuique præluceant sapientiæ gubernatrici, emittanturque in cœtus sanctorum, in societates civium, in familiarum temperamenta non obtusi, non languentes radii. Inspiciant, ut in prudentiæ officinam, in aulas, quarum facies a maculis repurganda, atque ad nitorem componenda venit; in provincias imperii, ne quid uspiam calamitatis ingruat, ne columna incolumitatis labascet, ruinamve minetur; in viciniam, ne foris aliquid impendeat, quod iactura irreparabili malo funesto multer patriam, civiumque detrimentosum appareat felicitati. Producenda oculorum acies in rem aulicam, ut exsplendescat magis; in rem publicam, ut alma ibi vigeat Faustitas; in rem militarem, ut Mars semper custode imperii flamma vigilique alacritate se conspiciendum, imo & formidandum præbeat. Minerva quoque Musarum tutela, non ultimas sibi partes, cum Junone prudentiæ regimen sortita, & Cerere cornu copiæ in privatas domos effundente, deposcit. Cur ergo Principem non tribus potius, quam duobus armatum oculis beatorum censu dignissimum veneremur? Iam stylo silentium indicit arctum chartæ spatium: ut ut vix primas lineas, fabulosum ternionem ad sapientiam vitæ publicæ privatæque traducturus, mihi adumbrasse videar. Neque silentio tamen involvere, aut sicco pede transilire par juvenum, ad auram liberio rem Academiæ adspirantium, animi æquitas veterisque consuetudo permittit. Etenim

- I. *Iohannes Gottlob Gampius, Cygneus.*
- II. *Christianus Ludovicus Pezoltus, Berotinas.*

Cygneis sedibus ultimum vale dicturi, ultimumque studiorum scholasticorum specimen ostensuri, ut perpetuæ se Patronis ac civibus Cygneis commendarent memoriam, uterque tres status reipublicæ Christianæ; ille quidem ex aureo seculo Ovidiano, velut trinum mythicum, obstetricante ingenii vena eliciendo; hic, tanquam trinum Philosophicum, libero incitatus ingenii calore, declarando; ille interpretis, hic oratoris sustinens munus, sibi contemplandos fumfere. Echo votivam, in gratiam discedentium, resonare docebit

*Iohannes Gottlieb Hertelius, Cygneus.*

Nosque vota nostra coniungimus, precati Numen Sanctissimum, uti amborum studia in tantum apicem eniti annuat, ut olim Astrææ (Iustitiæ enim sacris semet consecraverunt) terras linquere conanti, alas adimant. Fiat in Dei ipsius gloriam, patriæ salutem, parentumque & nostrum gaudium! P. P. d. 25. April Anno 1717.

(1) De fertilitate poëfos. (2) De variis modis moralia tradendi c. 2, p. 125. (3) De Genealogia Deorum. (4) In Mythologia I. 1, conf. Munckerus ad h. l. (5) Apuleius de Cosmographia.

MC

X 2316764

10.  
Hh  
687

*Ternio Poetius s. explicat brevia  
fabularum mythologicaar*

**V A L E D I C T I O N I**  
**S C H O L A S T I C A E,**  
 U T  
 D I E C R A S T I N O,  
 H. L. Q. C.  
 I N T E R E S S E D I G N E N T U R,  
 V E N E R A N D O S D N N. I N S P E -  
 C T O R E S, P A T R O N O S, F A V T O R E S -  
 Q V E I U V E N T U T I S S T U D I O S A E  
 H I S L I T E R I S  
 O F F I C I O S E A M A N T E R Q V E  
 I N V I T A T  
 M. G E O R G I U S A N D R E A S B i n h o l d / R.

**C I G N E A E,**  
 L I T T E R I S J O H. D A V. F R I D E R I C I.

